



Nf. 24.




65

PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRO-RECTOR,  
IVSTVS HENNINGIVS  
BOEHMERVS,  
ICTVS, CONSILIARIVS REGIVS INTIMVS ET IVRIVM  
PROFESSOR ORDINARIVS,  
VNA CVM  
DIRECTORE, CANCELLARIO ET PROFESSORIBVS  
RELIQVIS,  
CIVES ACADEMICOS,  
AD FERIAS, SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLOS  
EFFVSI MEMORIAE SACRAS, *bp.*  
PIE AC RELIGIOSE CELEBRANDAS QVAM HVMANISSIME  
COHORTATVR.

PROGRAMMA SACRAE  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRO-RECTOR  
IVSTVS HENNINGSVS  
BOELIUS  
ICIVS, CONSILIARIVS & DECANVS FELICIANVM  
PROFESSOR ORDINARIVS  
DIRECTOR, CANCILLARIVS & PROFESSORIVS  
RECTOR  
CIVES ACADEMICOS  
AD FELICIAE SPIRITVS RANCTI IN APOSTOLO  
BIBLIOTHECAE SACRAE  
DE AC KELLIGSE CALERANDAS OVAE EVANGELICAE  
CORPORA CIVI





Quo rarisissimi momenti dogma de SPIRITU SANCTO, eius hypostasi, diuinitate, officio & operibus, quam luculentissime tradi, ut in pandectis sacris generatim, sic præsertim in novi fœderis tabulis, lectores pie seduli non ignorant. Nullum vero ullius libri caput, in quo hæc ipsa doctrina operosius tractata sit, inuenias, quam *octauum* aureæ Pauli *epistolæ ad Romanos*. In hoc enim istius tractatio tam larga est, ut, vel *vicies* ipsius SPIRITVS SANCTI expressam mentionem hic factam esse, videamus. Quæ loca inter se in eodem collata piæ meditationi campum aperiunt amplissimum, nec exiguum præbent calcar ad piam praxin, doctrinæ huic primariæ convenientem. Ut vero utriusque instituti, & meditationis & praxeos, opera inexercitatis eo succedat facilius ac salutarius; ecce! istis isagoge aliqua hermeneutico-didascalica paucis præbimus.

Non ignotum est, in doctrina evangelica, latiori sensu sumpta, quam commodissime omnia referri ad *beneficia Dei & officia nostra*. Videamus igitur, quomodo illa, quæ de SPIRITU SANCTO, expressa ejus mentione facta, in hoc hujus epistolæ capite occurrunt, nobis partim Dei *benefi-*

*cia* prædicent, partim nostra erga ipsum *officia* commen-  
 dent, urgeantque. BENEFICII sane summi documen-  
 tum est, quod *lex SPIRITVS*, legis voce, secundum  
 notionem vocabuli Hebraici *thorah* hic pro doctrina sumpta,  
 h. e. Evangelium a Spiritu Sancto patefactum, & salutare  
 ejus organum, pro viva sua indole, & pro sua ζωοποιήσεως ef-  
 ficacia, nos, a *seruitate peccati & mortis* in vitam spiritualem  
 traductos, *in libertatem adseruerit*, v. 2. Et cum SPIRITVS  
 SANCTI beneficia sint cumulatissima, is ipse, tanquam  
 Dominus noster, fidelium animas, ut *templa inhabitat*, mi-  
 rificis charismatum divitiis ea exornans. Id quod quan-  
 do secundum v. 9. nobis obtingit, idem SPIRITVS, tan-  
 quam *SPIRITVS CHRISTI*, ut ibidem vocatur, Chri-  
 stum in nobis glorificat Io. XVI, 14. gloriam ejus ita nobis  
 patefaciens, ut, in beata cum ipso communiōe, in eandem  
 magis magisque transformemur, & quidem καθάπερ ἀπὸ  
 κελύς πνεύματος, uti 2. Cor. III, 18. cum emphasi perhibetur.

Nec minoris necessitatis atque usus beneficium il-  
 lud est, quod SPIRITVS SANCTVS in *rectione ac dire-*  
*ctione*, non svavi minus, quam efficaci, nobis præbet.  
 Quemadmodum enim ex ea univērsæ vitæ christianæ  
 praxis succedit quam facillime: sic in illa ipsa divinæ  
*ὁδοθεσίας* criterium habemus quam certissimum; uti Paulus  
 con mare 14. testatur. Et cum hic *ὁδοθεσίας* SPIRITVS in  
 nobis haud oniosus sit, id inter alia nobis præstat, ut, mis-  
 so affectu servili, *Patrem nostrum* cœlestem ea, quæ filio-  
 rum est, indole *identidem invocare* & velimus & posimus,  
 tenerrimo affectu *clamantes*: *Abba, Pater!* v. 15. Et cum,  
 quando nova donati sumus vita, magna tamen infirmitate  
 adhuc premimur, & ea præsertim in nostro precandi of-  
 ficio sæpe impedimur, SPIRITVM SANCTVM, in novi  
 beneficii documentum, experimur *συναίμαρτον*, &  
 pro

pro nobis *ἐνεργουσαντα*, ita ut, quando gemitus nobis ipsis defunt, aut nobis, quomodo ad voluntatem Dei formari debeant, non satis constat, ipse in nobis, etiam ore nostre haud loquente, *excitet exseratque suspiria*, quæ non possint non Deo *καρδιολογως* esse acceptissima; utpote non tam nostra, quam ipsius SPIRITVS SANCTI, ad voluntatem Dei in nobis quasi precantis. v. 26, 27.

Et quis non sancta admiratione suspensus istud SPIRITVS SANCTI beneficium, quod secundum comma 16. est in ejusdem *συμμερυλας*, seu ejusmodi de nostra apud Deum *υιοθεσιæ*, & de futuro amplissimæ hæreditatis jure testimonio, quod SPIRITVS SANCTVS testimonio illi, quod Dei filii in suomet animo renovato habent, quam efficacissime superaddit, & quod Paulus alias *ἀρραβωνα τῆς κληρονομίας*, *arrham Spiritus & hæreditatis nostræ* vocat. 2. Cor. I, 22. Eph. I, 13. Et quemadmodum sensus Spiritus intra animum nostrum diffusus *vita & pax est*, tenerrimo gustu percepta, uti habet comma 6; ita SPIRITVS SANCTVS in suavissima hac bonorum ac charismatum perceptione, uti Paulus commate 23. prædicat, futuræ meslis, quam in vita gloriæ habebimus immensam, *primitias* exhibet amplissimas. Et ne quid beatitati consummatisimæ ulla parte defit, animæ bonis ineffabilibus etiam istud accedit, quod in gloriosa mortalis corporis nostri, quod se animæ, ut anima SPIRITVI SANCTO, regendum permittit, restitutione consistit, ab efficacissima SPIRITVS SANCTI inhabitatione dependens, uti idem Apostolus commate II. perhibet.

Hæc de OFFICIIS, longe amplissimis. Quæ quod & quomodo OFFICIA nostra, propter quæ beneficia dari, vulgo notum est, excitent ac promoveant, jam tum ex iisdem, quæ jam laudata sunt, locis liquet. Scilicet officii

ratio omnino exigit, ut, e morte & servitute ad *vitam spiritualem* ac in *libertatem* restituti, in eadem Deo unice vivamus, & tanquam *viva* SPIRITVS SANCTI *templa*, divino cultui, eique interiori maxime, in solidum vacemus, & a rectione ejus toti quam promptissime pendentes, ejusdem afflatu *in* *indolem* perpetuo precum exercitio Deo probemus, & eo minus in ullo officiorum genere deficiamus, quo magis hic gratiæ SPIRITVS infirmitati nostræ succurrit, & quo efficacius nobis calcar, primitiarum gloriæ sensu, ad decurrendum hujus vitæ stadium exhibet.

Nec desunt in hoc capite loca alia, in quibus sedulam officiorum christianisimi praxin gravissime urgeri videmus. Sic illorum, qui SPIRITVM SANCTVM ductorem acceperunt, est, ita esse *ἐν πνεύματι & κατὰ πνεῦμα* v. 5, 9. ut *carnis*, seu corruptæ naturæ, *φρονήματι* exuto *secundum spiritum* vivant v. 1. 4. ejusdem *φρονήματι*, obsecuti v. 5, 6. Inprimis vero magni ponderis monitum est, quo v. 13. jubemur *opera SPIRITVS SANCTI*, nempe nos inhabitantis ac necessario virium spiritualium præsidio nos instruendis, illas, quæ e malo sunt, *praxes enecare*. Cui officio fideliter præstito quemadmodum ibidem certam *vite æternæ* spem proponi videmus: sic ejusdem neglectui severam æternæ mortis comminationem denuntiari deprehenimur; verbis istis: *si secundum carnem vixeritis, moriemini*, procul dubio e tristi primævi lapsus historia non sine emphasi desumtis.

Neque hoc sine pia meditatione sanctæque applicatione dimittendum est, quod vox *Spiritus* in capite jam sæpius allegato ea posita deprehendatur notione, qua ita ad SPIRITVM SANCTVM refertur, ut non minus etiam *in* *animo* hominis *reginito & renovato* conveniat: v. g. quando  
jube-



jubemur *secundum spiritum ambulare*, v. 1. 4. *Φρόνημα, sensum affectumque* spiritus sequi ac exprimere v. 5, 6. & in *spiritu*, tanquam elemento nostro novo, *versari* v. 9. eoque *corrupta natura operationes enecare* v. 13. & *ὁμοθεῖας spiritu cœlestem Patrem idem idem invocare*. Quæ notio nium subordinatio ac harmonia quid indicat aliud, quam *unionem* illam *mysticam*, secundum quam SPIRITVS SANCTVS cum spiritu, seu animo, nostro renovato tam arcte conjunctus est, ut operante uno etiam alter operetur; atque ita spiritus noster renovatus ductori suo & inhabitatori, SPIRITVI SANCTO, semper quam obsequentissime subest, & ita ab ejus regimine pendet, ut ei respondeat quam convenientissime, sub ejus præsidio semper in vitæ spiritualis praxi constitutus. Utrumque vero beatissimæ hujus harmoniæ principium jungitur, quando Paulus commate 16: *ILLE IPSE*, inquit, *SPIRITVS συμμαρτυρεῖ, una testimonium perhibet nostro spiritui, nos esse filios Dei*.

O beati itaque, qui SPIRITVI SANCTO, ineffabilibus beneficiis de genere humano merito & merituro, se totos formandos regendosque permittunt! In quorum numero, ut & vos, CIVES OMNIUM ORDINUM FLORENTISSIMI, nobiscum sitis, est, quod ex animo optamus. Eritis vero quam certissime, si doctrinæ huic apostolicæ, quam brevissime hætenus delineatæ, morem gesseritis. Habet sane illa, quæ nos ad sui æstimationem dignam, & admissionem practicam, excitare, immo inflammare possunt, scilicet *beneficia* ea, quorum nobis non minor est fructus, quam necessitas. Date itaque operam, ut ferias hæc transigatis vita, vocatione vestrum cœlesti digna. In succum quasi & sanguinem convertite ea, quæ  
Pau-

Paulus nobis in laudato capite ad Romanos tantopere  
commendat. Et his jungatis illud Evangelii de SPIRI-  
TV SANCTO præconium, quo acroateria ecclesiastica  
singulis diebus resonabunt. Quæ sacra ut ab omnibus  
reverenter habeantur, expectat decorum, exigit consci-  
entia, & postulat severus profanati nominis sui vindex,  
DEUS, DOMINUS noster: P. P. Hal. Sax.  
ipsis feriis Pentec. anno  
M DCC XXIII.

---

Typis GEORGHII JACOBI LEHMANI, Acad. typ.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROGI  
ACADE  
P  
IVSTVS  
BO  
ICTVS, CONSILIA  
PRO  
DIRECTORE, C  
CI  
AD FERIAS, SP  
EFFVS  
PIE AC RELIGIO

65  
M,  
AE  
GIVS  
ET IVRIVM  
SSORIBVS  
POSTOLOS  
6p.  
ANISSIME

